





DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
**MONOPOLIIS**

QUAM

Divinâ favente gratiâ  
Decreto & autoritate Magnifici Jectorum Ordinis  
In Regia Academia Gryphica

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Excellentiss. & Consultiss.*

**DN. FRIDERICO GERDESIO,**

J. U. D. Pandectarum & Codicis Professore Ord.  
Facultatis Juridicæ p.t. Decano spectabili, Consistorii  
Regii in Pomerania Assessore gravissimo  
Fautore, Amico & Affine suo hono-  
rissimo,

Pro summis in Utroq, Jure Honoribus  
& privilegiis Doctoralibus ritè & solenniter  
consequendis

Publico Eruditorum examini submitte

**P E T R U S C O R S U A N T,**

GRYPHISW. POMER.

Ad diem 18. Julii PATRI natalem in Auditorio majori  
à horâ 7. matutinâ.

GRYPHISWALDIÆ

Typis Matthæi Doischeri Acad. Typographi 1671.

MONOGRAPHIIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Q. D. T. O. M. B. V.



T animantia quæque ani-  
mâ & corpore constant, sic civilis so-  
cietas commercio & imperio constare  
videtur *Petro Gregor. Tholoz. in tractatu de  
republica lib. 4. cap. 7.* Æque enim utilis  
& necessaria ad splendorem & incre-  
mentum Reipublicæ mercatura est,

quàm virtus togata & militaris, quippe hæc ab illa quasi  
succum & sanguinem habet, nam nervum rebus arte &  
Marte bene gerendis adfert, nec minore cum discrimine  
vitæ fortunarumq; ex omnibus mundi partibus necessa-  
ria suæ civitati defert & superflua exportat, quam aliâ  
stylo & ferro sua æternant nomina. Proinde cum ve-  
nerandum Parentem visitando honoris pulsanti paterent  
fores, pauca quæ ad hoc imparatus & nulla ex parte in-  
structus raptim de Monopoliis colligere potui, quate-  
nus scilicet mercaturæ libertati adversantur vel conve-  
niunt, pro temporis angustia & ingenii tenuitate con-  
gessi.

§. 1. A nominis tractatione favente Numine  
inchoaturus monopoliis vocabulum dico esse origine  
Græcum, apud Latinos civitate donatum, & derivatur  
nonnullorum opinione à μόνος solus & πόλις civitas, quod  
sit unica in civitate negotiatio. *Glossa. Odofr. & Placent. ad  
rubr. C. de Monopoliis.* Alii & quidem rectius deducunt à μό-  
νος solus & πωλέω vendo, quando unus solus (vel paucis  
admissis) rerum nonnullarum negotiationem sibi vendi-  
cat, ut pro arbitrio pretia earum statuat. *Sichard. in d.  
rubr. C. n. 2. Prat. lex. jur. hac voce Abbas verus Fritsch. in tract. de  
monopoliis. c. 2, n. 11.*

A

§. 2.



§. 2. Synonymum hujus vocabuli Latium non invenit, proinde Tiberius ab exoticis præprimis in publico abhorrens vocabulis, hanc rem expressurus, latinâ voce destitutus, impetratâ à Senatu veniâ, hac ut peregrinâ usus est, uti ex *Sveton. in vita Tiberii c. 71.* notavit *Cujac. in parat. C. b. t. post eum Fritsch. l. cit. it. Dn. Marquard. b. m. in tract. de jure mercat. & commerc. singulari lib. 4 c. 6. n. 1.* & monopolii vocabulum post Tiberium ab omnibus receptum esse notat *Johan. Schilden. in comm. ad d. l. Svetonii,* allegans exemplum *Plinii*, qui eo *lib. 8. c. 37.* utitur. Jam allegatus *Marquardus d. l.* per solivenditionem latinè exprimi posse monopolium eadem licentiâ, quâ soliloquii vocabulo apud Latinos utimur, putat. Alii propolium huic nostro Synonimum statuunt, verùm monopolium hac voce latius aliquantò parere cuilibet manifestum est, denotat enim non solum omne, quod negotiationis & lucri faciendi gratiâ fit, sed etiam simplicem emptionem, quæ pro exteris fit, ita ut merces prohibita extra provinciam deferantur, notante hoc *Nicol. Everhard. jun. vol. 2. conf. 2.* & ex eo *Speid. in specul. Observ. voce Fûrkauß.* Qui autem annonam flagellando monopolium exercent, Dardanarii dicuntur à Dardano quodam mago, uti *Calvin. in suo Lexico ex Turneb. adv. lib. 9. c. 17.* notat, qui artibus magicis annonam in horrea avertisse, & in metiendo mensuram imminuisse creditus est, *Marq. d. l. n. 21.* quiq; coemptas merces supprimebant, nec fructus suos æquis pretiis vendere volebant, dum fortè minùs uberes proventus expectabant, hoc quoque nomine veniebant, qui etiam in sacris literis damnantur, *Proverb. 11. v. 26.* prohibenti frumentum maledicet populus, benedictio autem super caput vendentis illud. Dictos eos fuisse *Seplasiarios, Pantapolas, Pantametabolos, Pentagolos, Danistas,* *Cujac. 10. Obs. 19. ex glossâ veteri testatur.* §. 3.

827.

§. 3. Monopolii acceptio varia est, & 1. sumitur pro certo oneris seu pensionis genere, ab iis, qui beneficio Principis monopolium exercebant, exigi solitum, quod *Gothofr. ad rubr. C. de Monopoliis* dicit, jus vendendæ certæ mercis, quod unus certive homines sibi vendicant permissu Principis sub vectigalis onere, vid. *Prat. d. l. Calvin. Lexic. jur. hac voce Cassiodorum. lib. 2. Epist. 4.* sed hæc significatio hujus loci non est. Prout nostro inservit scopo, quadrifariam sumitur: 1. Strictè pro jure & potestate alicujus rei vendendæ, quam quis sibi vel propriâ auctoritate vel principali indulgentiâ usurpat, ita ut isti merci pro lubitu pretium imponere possit, aliosq; ab illius negotiatione excludat, quod prohibetur *l. un. C. de Monopoliis. R. A. zu Cölln de anno 1512. tit. von Gotteslästern. Sund nachdem.* 2. Pro pacto mercatorum inter ipsos inito, ne frumentum vilius vendatur, *Brunnem. in l. un. C. b. t.* vel ne quamlibet mercem, quam communem inter se habent, viliori pretio, quam conventum inter ipsos est, vendant. *R. A. de anno 1548. tit. die monopolia und schädliche Fürkäuffe belangend.* 3. Pro conventionem artificum, ergo laborum, aliorumq; diversorum operum Professorum, de non adimplendo opere ab alio inchoato & derelicto. *l. un. C. b. t.* Quas conventiones ut planè irrationabiles pugnantessq; cum justitiâ charitateq; Christianâ rectè reprobatas dicit *Fritsch. c. 12. n. 13.* 4. In genere sumitur pro quolibet pacto, quod publico nocivum, privato autem quæstuosum est, quoque unius vel paucorum tantum commodum promovetur. *Decian. tract. crim. l. 4. c. 21. n. 11.*

§. 4. Circa definitionem, quæ rem facit clariorem, *Cic. lib. 1. Offic. variant Dd.* Prateus dicit potestatem penes unum vel paucos secum admissos exercendi certum, mercaturæ genus, ut solus pro arbitrio pretium statuatur.

A 2

& ven.

& vendat. Alii dicunt, quòd sit jus certam aliquam negotiationem exercendi, reliquis exclusis in privatum commodum. *Cujac. b. l. Gothofr. ad rubr. b. t. Collegium Jurid. Argent. lib. 18. tit. 1. tb. 44.* sed hoc *Althus. dicælog. l. 1. c. 133.* displicet, cum per jus non tam res ipsa, quam potestas monopolii exercendi exprimatur. Alii dicunt, quòd sit commercium emendi, vendendi, permutandive à paucis vel uno etiam usurpatum, reliquis civibus præceptum, quâ ratione pretia augentur cum lucro negotiantis & reliquorum damno. *Sichard. d. l. n. 2. Casp. Klock de arar. l. 2. c. 26. Speid. in Syll. quæst. voce Fûrkauff. Marquardus d. l. n. 2.* Nos commodius ita describi posse existimamus, quòd sit negotiatio lucrosa, unius vel paucorum, libertati negotiationũ contraria, cum aliorũ injuriã & reipublicæ damno conjuncta, vulgò ein schädlicher eigennütziger Fûrkauff. *Recess. Imper. de anno 1548. tit. von Monopoliën.* Diximus autem, negotiationem unius vel paucorum, non intellectu Grammatico, sed Juridico libertati negotiationum contrariam, per *l. 5. ff. de J. & J. de quo infra* pluribus, cum aliorum injuriã & Reipublicæ damno conjunctam. Hæc enim est natura & principalis finis monopoliarum. *Fritsch. d. l.*

§. 5. Circa divisionem sequimur partitionem Aristotelis, qui in duo divisit, quicquid in orbe fuit, & dicimus, generaliter monopolia esse vel publica vel privata, hæc quidem illicita, illa non tantum licita, sed & magnifica nonnunquam fuisse, *Job. Trygoph. in sua Polit. togata ex Keckermanno* notavit, qui etiam inter ordinaria, quæ prohibita, & extraordinaria, quæ licita, distinguit. *lib. 1. System. polit. c. 14.* Privata iterum monopolia statuimus triplicia: vel 1. fiunt circa res, cum mercatores inter se conveniunt, ut certas merces constituto inter se pretio  
hoc



828.  
hoc & non alio modo velint distrahere. 2. Fiunt circa personas, quando inter se concludunt collegæ, ut non alios nisi ex certâ familiâ in consortium & societatem recipere velint. 3. Fiunt monopolia circa loca, quando statuitur, ut certo loco & non alio res vel fiat, vel vendatur, de quibus omnibus infrâ pluribus dicetur. Videatur *Sichard. ad l. un. C. b. t. n. 2. it. Syn. Schutz. in jur. publ. vol. 1. disp. 4. th. 17. lit. b.* Reliquas divisiones longo ordine enumerare superfedemus, cum in tractatione reali, ad quam bono omine nos accingimus, notandæ veniant.

§. 6. Causam monopoliï impulsivam statuimus triplicem (1) privatam commodum, quod ut omnis boni ordinis infensissimum hostem, *ordinatio publica de anno 1548. tit. die Monopolia betreffend. verbo betriegliche / gefährliche und ungebührliche Fürkäufe / ic.* extorre fecit, cujus exemplum præbet Thales Milesius septem sapientum unus, cui cum objiceretur Philosophiæ studium propter inopiam quasi inutile esse & infructuosum, ille per Astrologiam olivarum ubertatem prævidens collectis pecuniis quicquid olei in Mileto & Chio erat parvo pretio, nemine plus offerente coemit, multis subito quærentibus, pro lubitu oleo pretium statuit magnamq; vim argenti collegit, quibus ostendit facili negotio Philosophum ditescere posse modò velit, uti omnes, qui de monopoliis scripserunt ex *Arist. lib. 1. polit. c. 7. in fin.* hoc allegant. 2. Publicum commodum, cum quis in salutem & incrementum reipublicæ monopolia instituit, *Bornic. de ærar. lib. 2. c. 1.* ad instar societatis inter Salomonem & Hiram de ferendo ex Ophir auro, unde maximos Salomon redditus habuit, teste *Sacro Codice 1. Reg. 9. n. 28.* & Elector Baviaræ ex salis monopolio tantos quotannis in ærarium infert redditus, qui multorum Principum opes longè

superare dicuntur. *Marq. d. l. c. 7. n. 20.* ita etiam Rex Lu-  
sitaniæ mercabatur & monopola exercebat, suum re-  
gnum ut ampliaret, majestatem defenderet, & subditos  
ab oneribus levaret. *Bodin. lib. 6. c. 2.* & ex illo *Trygoph. in*  
*polit. togat. lib. 1. c. 22.* 3. Necessitatem. Concedendum  
enim nonnunquam aliquid ditioribus, ne egeant & per-  
eant aliquando & sæpius egeni. *Herm. Later. de censu. lib. 3.*  
*c. 14.* *Trygoph. d. l.* quale fuisset Josephi, si coemendo fru-  
mentum monopola dicendus esset, quod multi negant,  
alii propolium hoc ipsius factum dicunt. *B. Lutherus u-*  
*trumque improbat in tractatu von Rauffhändeln. tom. 2. fol.*  
*472.* sed quoniam primum de illicitis monopoliis nobis  
sermo erit, posteriores duas species in finem rejicimus.

§. 7. Causa efficiens monopolorum est vel me-  
diata vel immediata, illa est jus gentium; cui & commer-  
cia, plerique item contractus originem debent. *l. 5. ff. de*  
*J. & J.* Immediata est Princeps vel quilibet alius legis  
ferendæ potestatem habens, cui additur præscriptio seu  
consuetudo. vid. *Sichard. d. l. n. 11.* *Marq. d. l. c. 7. n. 7.* *Bor-*  
*ckold. cons. 7. part. 1. col. 1.*

§. 8. Monopolorum originem satis esse antiquam  
historiæ testantur, nec dubitamus asserere, monopola  
statim, postquam mercatura aliqua incrementa sensit,  
exorta fuisse, ad exemplum virtutis, quæ à cunabulis su-  
is stipatur vitiis, ut juxta illa posita magis illucescat, nec  
parum lucis mercaturæ accedit, cum à servitute mono-  
polarum in pristinam libertatem vindicetur, vel si tan-  
tum monopola autoritate superioris justitiæ & boni pu-  
blici limitibus circumscribantur, quod præprimis in Rep.  
Romana factum à *Cujac. lib. 10. Obs. 19.* notatur, cum ait:  
exterorum monopolarum exempla ita imitati sunt Ro-  
mani, ut callidas istas negotiationes æquè ac fraudulen-  
tas

829

tas multis SCtis & constitutionibus Principum coerceri  
necessum fuerit, & Tiberius aliquoties in Senatu mono-  
poliorum meminisse *Svetonius in vita ejus* testatur, nam præ-  
ter allegatum locum, ubi usum peregrini vocabuli excu-  
sat, legimus *cap. 30.* quod de monopolis ad P. C. retule-  
rit. *Zenonis* taudem lege, quæ à *Grotio de Jure B. & Pac. lib. 2.*  
*c. 12. §. 16.* æquissima vocatur, & pluribus *novellis constitu-*  
*tionibus præprimis de anno 1548.* planè sublata sunt. Tem-  
pore *Sichardi* adeò familiaria & frequentia monopolia  
fuere, ut explicaturus *tit. b. C.* dicat, se versaturum in ma-  
teria odiosa, quia tota Germania & Italia omnis plena  
erat monopoliorum, ideoq; cum protestatione se lectu-  
rum, inq; id auditores testes rogat. Utrum autem juri  
naturæ sint contraria monopolia, ita ut in totum à sum-  
ma potestate nec exerceri nec permitti unquam justa de  
causa & certa sub pensione possint, dubiæ quæstionis  
est. Nos *cum H. Grotio d. l. contra Feldenium* negamus, & po-  
tius adstruimus, quoties in utilitatem reipublicæ vergunt  
monopolia, non tantum à Principe, sed & à civitatibus,  
imò etiam à privatis ex concessione superiorum, certa-  
rum mercium negotiationem licitè exerceri, & hoc ipso  
laborantem Rempublicam sublevari posse, quod & man-  
datur *Proverbiorum 3. v. 9.* ubi dicitur: Noli prohibere be-  
nefacere eum, qui potest, sed si vales, ipse benefac, alle-  
gante illud *Trygob. d. l. & Marqv. d. l. c. 7. n. 3.* qui pro hac  
sententia allegavit *Scacc. de commerc. & camb. §. 1. quæst. 7.*  
*part. 3. lim. 10. n. 15. & seqq. fol. 300. medin. tom. 2. tit. de reb. rest.*  
*9. 30. n. 6. vers. procedunt. fol. 220. col. 1.*

§. 9. Materia, circa quam monopolia exercentur,  
sunt omnes res, quæ sunt in commercio hominum, quo-  
cunque etiam nomine veniant, quarum nonnullæ expri-  
muntur ab Imperatore *l. un. C. b. t.* cùm dicit: sive sit ve-  
stis,

stis, sive piscis, sive pectinum, (quo verbo Cujacius in *paratit. C. b. t.* intelligit instrumentum, quo comuntur capilli. Gothofr. verò ad *d. l. cum Fritsch. all. loc. c. 2. n. 17.* pro pisce accipiendum esse putat, cujus meminit Horat. *Serm. lib. 2. Satyr. 4.*

*Pectinibus patulis jaëtat se molle Tarentum.*

ubi de origine variorum & delicatissimorum piscium loquitur) sive Echini vel cujuslibet alterius ad victum vel ad quemcunque usum pertinentis speciei vel materiæ monopolium &c. & non tantum in re, sed & in personâ & loco committi monopolium, *Sichard. d. l. n. 3.* docet, quem alii sequuntur, qui tamen plerique dicunt, in re propriè, in personâ & loco impropiè exerceri monopolium, quomodo autem fiat, sub formâ infra videbimus.

§. 10. Subjectum monopolii sunt omnes homines, *l. un. C. hic verb. ne quis.* quo non saltem masculi, sed & foeminae comprehenduntur, *l. 1. ff. de V. S.* etiam in poenali-  
bus, *Gæd. ad l. 1. n. 13.* cujuscunque sit dignitatis, sive privatus, sive publicus, etiam Princeps & Status imperii propter *d. l. generalitatem, vid. ord. polit. de anno 1577. tit. 18. in fin.* imò nec Imperator ipse, quamvis enim legibus est solutus, *l. 31. de legibus.* legibus tamen vivit, *§. fin. Inst. quibus modis testam. infirm.* & decet tantæ majestati leges, quibus ipse solutus est, servare. *l. 23. de legat. 3. l. 3. C. de Testam.* Præterea *l. fundamentali* non solutus, sed ei juramento adstrictus est, *Gothofr. disp. feud. 1. th. 1. lit. b.* vi cujus imperii subditos pro lubitu collectare aut aliis oneribus & damnis gravare non potest, *Carpz. ad l. regiam. c. 8. in princ. Barbosa ad l. un. C. b. t. n. 5.* præprimis vide *Fritsch. d. l. c. fin. n. 35.* sive unus separatim, sive plures conjunctim, *R. U. de anno 1548. tit. die Monopoliën.* sive quis propriâ exercet auctoritate, sive ad rescriptum Principis, *d. l. un. verb. vel sacro jam*

*jam elicitō vel in posterum eliciendo. nec vult Princeps ea vale-  
re, quæ contra jura utilitatēq; publicam sunt, l. 3. C. de  
precibus Imperat. offer. aut in damnum injuriāq; aliorum  
vergunt. l. 7. C. d. t. l. 1. §. 10. ff. ne quid in loco publ. Petr. An-  
chor. cons. 298. n. 4. 5.*

§. 11. Forma monopolii in eo consistit, ut quis ex  
proposito id agat, quò solus certi generis merces habeat  
ac vendat, neque hìc sufficit voluntas, veluti in crimine,  
læsæ maj. sola consultatio vel actus aliquis extraneus, quo  
voluntas criminis elici potest, sicuti in publicis lectioni-  
bus pluribus ex l. 1. ff. ad l. Jul. maj. demonstravi. Sed ac-  
cedere hìc debet ipse actus coemendi certam materiam,  
& pro lubitu de pretio disponendi, quod conveniens est  
*Recessibus Imperii de anno 1512. §. und nachdem etwa. ibi: die als  
lerley Gewähr und Kauffmans-Güter / als Specerey / Erzk/  
Wulleneuch und dergleichen in ihre Hände und Gewalt alleine  
zu bringen unterstehen / Fürkauff damit zu treiben / sehen und  
machen ihnen zum Vortheil solcher Güter den Werth ihres  
Gefallens. & de anno 1548. ubi iisdem ferè verbis mono-  
polia interdiciuntur. Et huic negotiationi accedere so-  
lent pacta, quibus vel simpliciter vel jurato conveniunt,  
ne alii, quàm qui ex collegio est, nec minori quàm con-  
ventum est, pretio vendant, quod notatur verbis l. nostra  
un. ibi: neve quis illicitis habitis conventionibus conjuret aut paci-  
scatur &c. Solent & monopolæ omnem movere lapidem,  
ut alios concives sodalicio excludant, dum collectis fa-  
cultatibus alios superant, alios præveniunt, alios exau-  
cto rerum pretio deterrent, cunctaq; moliuntur, ut soli  
omnia emere, & pretium deinceps pro lubitu statuere  
possint. Videatur Marq. d. l. c. 6. n. 7.*

§. 12. Porrò nunc videndum, quomodo circa res  
fiat monopolium, quod accidit 1. cùm unus vel pauci  
B certa-



certarum rerum commercium sibi solis vendicant, reli-  
quis pergrave & intolerabile huic rei impositum vecti-  
gal exclusis, quale prohibitum monopolium exercuisse.  
Adventurarios Anglicanos, affirmat *Fausl. ab Aschaffn. de*  
*erar. cl. 16. cons. 141.* & in scripto anno 1607. edito, quod di-  
citur *Status controversie Hansæ Anglicanæ*, novem rationibus  
evincitur, quod dicti Adventurarii verè illicitum habue-  
rint monopolium: 1. Quòd sibi pannorum negotiatio-  
nem soli sumant, à primis dominis pannos, exclusis aliis,  
ementes. 2. Quòd ipsi eorumq; præfecti & ministri  
præviâ taxatione inter se conveniant de certo pretio  
pannis constituendo. 3. Quòd neminem agnoscant so-  
cium, qui non septem annis Collegio famulitia præstitit.  
4. Quòd naves eorum, qui non sunt ex collegio Londi-  
ni, tamdiu detineantur, donec collegarum ex portu sol-  
verint. 5. Quòd reliqui mercatores, præprimis Han-  
seatici respectu Adventurariorum duplici vectigalium  
onere graventur. 6. Quòd nemini etiam privilegiato  
mercatori pannos vel albos vel intinctos ex Angliæ ex-  
portare liceat. 7. Quòd nemini præter Adventurarios  
concessum pannos Anglicanos in alium quàm patriæ so-  
lum contra jus gentium libertatemq; commerciorum &  
privilegia quæsitæ abducere. 8. Quòd nemini, exceptis  
Adventurariis licitum, alias, quàm quas patria fert, ad-  
vehere merces. 9. Quòd denique sub gravi commina-  
tione Anseaticis prohibitum, in loca & emporia Adven-  
turariorum merces suas inferre. Quare etiam bannum  
(quod secundum *Sichardum ad l. un. C. hic. n. 12.* est hujus  
criminis poena ordinaria) d. 1. Augusti anno 1597. contra eos  
publicatum est, teste *Thuan. lib. 119. hist. p. 814. der Erbe*  
*Hanse-Städte nothwendige Verantwortung de anno 1609.*  
*vid. & acta Anglicano-Hanseatica de annis 1607. 1608. & seqq.*

§. 13. Deinde committitur monopolium circa res, quando sub certo tempore certarum mercium alienatio prohibita est. Sic Alphonsus Rex Neapolitanus negotiationis monopolium instituendo mercatus omne oleum regni & triticum adhuc in herba modico pretio, summo quo poterat pretio revendens, nec permittens dominis suum vendere triticum & oleum, donec ipse distraxisset, quæ ex illis comparaverat. *Petrus Gregor. Tholoz. lib. 3. cap. 6. de republ. n. 50.* Idem dicendum de Nobilibus, qui non permittunt suis rusticis quicquam vendere aut in forum publicum deferre, priusquam ipsi res suas sæpè nullius pretii satis caras vendiderint, vel si in municipio convenerint, ne deferant alio municipio frumentum, donec vel dominus loci vel ipsi vendiderint suum. *Id. l. 13. c. 3. n. 4. vid. Marqv. d. l. n. 8. ibiq; alleg. Kell. de offic. jud. l. 2. c. 18. Frisch. d. l. c. 9. n. 16.*

§. 14. Committitur item monopolium circa res, coemendo cunctas unius generis merces, iisq; postea pro lubitu pretium statuendo, quale fuit suprâ memorati Taletis. Item alterius cuiusdam Siculi, qui pro pecuniâ apud ipsum depositâ ferri quicquid erat ex ferrariis emit, mercatoribus postea illuc accedentibus vendebat, solus, non multum in pretio excedens, ita tamen, ut duplum, nimirum pro quinquaginta talentis centum reciperet, quod ex *Aristot. & Menoch.* refert *Marqv. d. l.* hoc modo etiam monopolium committit, qui præsciens aromatum inopiam futuram omnia sibi comparat, & hunc cogi posse, ut vilius vendat, quàm subsequente annonæ temporibus valebunt, tradit *Conrad. de contract. illic. quest. 65. Decianus d. l. n. 18. Speid. d. l. n. 9.*

§. 15. Hisce Dd. addunt mercatores & laniones, qui conjunctis bursis omnia circumemunt & apud se servant,

pòst paulatim vendunt, quanti volunt, *Dambaud. praxi crim. c. 132. n. 12. id. c. 143. n. 4. Fritsch. d. l. c. 9. Speid. d. l. n. 8.* sicq; in ipsa copia efficiunt, ut Respublica penuriâ rei annonariæ & caritate laboret.

§. 16. Monopolii etiam species dicitur, cum mercatores tempore annonæ clam frumentum & alia vitæ sustentationi inservientia è regionibus aut civitatibus etiam prohibiti efferunt, ut alibi plus lucri cum magno Reipublicæ & civium damno capiant. *Tholoz. lib. 36. Syntagm. cap. 30. n. 6. Alth. dicoelog. l. 1 c. 133. n. 31.* Item si macellarii privilegium habent, ut soli carnes vendant. *Chassan. in consuet. Burgund. rubr. 13. des forerts. §. 17.*

§. 17. Monopolicam quoque negotiationem sapit, quando mercatores inter se conspirant, ne quis eorum in certam regionem frumentum transferat, quò suum carius quàm alii vendere possint, *Socin. Vol. 4. cons. 172. col. 3. Decian. d. l. n. 12. Tholoz. de Republ. lib. 13. c. 3. n. 4.* aut si nonnulli mercatorum merces aliunde advehentes, se nullos alios subsequi falsò dicunt, nec posse ejus generis merces hoc tempore sperari, *Cic. lib. 3. Offic. p. m. 188.* vel naves esse submersas. *Fritsch. d. l. c. 3. n. 13.* item, si nonnulli merces occultant, donec alter suas vendidit.

§. 18. Monopolæ etiam sunt aromatarii, quando inter se conveniunt, ne quis ad exequias defuncti debitoris aromata vel ceram vendat, donec solutum fuerit, quod defunctus uni illorum debet. *Kell. de offic. jur. polit. l. 2. c. 18. vers. 13. Fritsch. d. l. c. 12. n. 28. Speid. d. l. n. 3.*

§. 19. Hactenùs, quomodo in rebus fiant monopolia, vidimus, reliquum est, ut & impropria, quæ in personis & locis, aliisq; quam emptione venditione contractibus celebrantur, ex textu legis & Dd. adducamus, & quidem in *l. un. C. b. t.* duo expressè pacta prohibentur:



bentur: i. est, ne quis ab alio inceptum opus concinnet & perficiat, *vid. Brunnem. ibi & Barb. n. 9. Steph. vol. 1. part. 1. disp. 3. concl. 7. Rebuff. ad Const. reg. Gall. tract. de mag. artif. lib. 2. art. 4. gl. 2. n. 18.* habet enim speciem conspirationis, cui leges valdè sunt infensæ, ut in *tit. de pace jur. firm. §. conventiculas. & ibi gl. in usibus feud. vid. Möll. 2. Semestr. c. 15. & pugnat cum justitiâ & charitate Christianâ, Fritsch. d. l. c. 12. n. 13.* rectè itaque reprobata in responso, cuius meminit *Carpz. part. 2. const. 6. def. 11. n. 4.*

§. 20. Alterum in l. prohibitum pactum est super taxandis rerum pretiis, die da Fürkauff zu treiben denen Wahren einen Werth nach ihren Willen und Gefallen sehen. *reform. polit. de anno 1548. tit. die monopolia und schädliche Fürkäuffe betreffende.* quod aliàs Magistratus est, *l. 1. §. 11. ibi: cura carnis. ff. de offic. Praefect. urbi. l. civitatum. C. ut nemini liceat in empt. ibiq. Peretz. Cöler. tract. de alimentis. l. 1. c. 17. n. 31. vid. Mynsing. l. 5. Obs. 25.* cui simile est, cum opifices inter se conveniunt, ne alter rem vilius vendat, quàm alter. *reform. polit. de anno 1577. tit. 37. Rec. Imp. de anno 1548. tit. von Handwercken. verbo und nachdem die Handwercke in ihren Zünfften. Schutz. Synops. Inst. l. 1. tit. 2. lit. b.* Ubi tale pactum à venditoribus initum est, non immeritò quæritur, an emptores possint licitè convenire, ne emant merces nisi viliori pretio? *affirmat id Rebellus lib. 9. quæst. 7. n. 6. Regin. l. 25. n. 333. Arraga. l. 2. 2. qu. 77. art. 4. de monop. diff. 1. ad fin. Bonac. tract. de contract. & restitut. disp. 3. punct. 5. dicit: quòd emptores simul cum venditoribus à pacto inito desistere debeant; verùm tutius puto, ut Magistratus auxilium imploretur, ne occasio præbeatur delinquendi. l. 176. ff. de R. J. ibiq. Bronchorst.*

§. 21. His accensent, si conventum, ne domus vel apotheca minori, quàm statutum, locetur pretio, *Decian. tract.*

*tract. crim. l. 3. c. 21. n. 17. Speid. d. l. voce Furfauff. n. 6. gl. in l. 1. C. b. t. Conrad. de contr. illic. quæst. 51. vel ne laborem alter opificum minori pretio conducat, Mev. b. m. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 13. artic. 3. n. 39. Tholoz. lib. 13. de repub. c. 3. n. 4. aut quando artifices vel rustici paciscuntur inter se, ne quis eorum operas civi habitanti in urbe vel in villa ipsa præstet, Speid. d. l. n. 12. vel si inter locatorem & conductorem conventum, ne res indigenis vendatur. Bald. consil. 445. Decian. d. l. n. 27. Item, si Medici aut Chirurghi juxta pactum enormi pretio Rempublicam aggravant. Dambaud. praxi crim. c. 134. n. 11. Pertinent quoque huc balneatores, si conveniunt, ut pro certâ mercede & non aliter lavetur, de die & tempore quo conventiones eorum permittunt. Sichard. d. l. n. 9. Steph. lib. 2. de Jurisd. part. 2. c. 6. n. 35. Nec minus ad monopolia prohibita pertinet, si statuunt opifices inter se, ne aliquem nisi pro immenso pretio in collegium admittant, vel ne quenquam nisi pro immodico pretio, & certo tempore eoq; nimis longo artem suam docere velint, cum tamen minori pretio & tempore possint. Tholoz. d. l. Sinb. Schutz. vol. 2. jur. pub. disp. 9. n. 8. lit. b.*

§. 22. Circa personas monopolia notantur, cum Canonici Ecclesiarum cathedralium statutum vel pactum inter se habent, ne alios accipiant Canonicos quam Nobiles, contra omnia jura & ritum veteris Ecclesiæ, Sichard. d. l. n. 4. Marqv. d. l. c. 6. n. 50. vel si Doctores neminem nisi Nobilem vel in civitate natum admittere volunt in collegium. Decian. d. l. n. 25. Item, si notarii nolunt, ut alius conficiat instrumentum, quam qui est ex certâ familiâ, certoq; numero, Natta consil. 672. n. 50. Surdus consil. 257. n. 12. similiter quando nullus ex statuto in collegium cooptandus, nisi qui ex tali familiâ vel tali civitate ortus est. Speid. d. l. n. 16.

§. 23.

§. 23. Monopolæ quoque sunt artifices, qui inter se paciscuntur, ne quisquam illorū in illa arte alios quā suæ artis artificis filios aut nepotes instruat. *Azo in Summ. C. b. t. Dec. d. l. n. 14. Speid. d. l. n. 7. B. Mev. d. l. quale pactum inter vitrarios in Germania & inter eos, qui margaritas vel perlas perforant in Italia esse meminit Sicbard. d. l. num. 3. Marq. d. l. c. 6. n. 48.* Quò referendum statutum: *Dasß Basder / Balsbierer / Müller / Leinweter / Hirten / Zöllner / Spielleute / Trompeter und dergleichen Leute Kinder kein Handwerk lernen können. Schutz. d. l. quod ut irrationabile & odiosissimum abrogatum per recessus de anno 1548. & 1551. tit. von Handwercks Söhnen. Mynsing. cent. 4. obs. 31. ibiq; Reig. in not. Ruland. de commissar. part. 4. c. 6.* Pactum de non recipiendo in collegium, qui non legitimè natus est licitum dicit *Steph. de jurisd. 2. p. 2. n. 34.* propterea einen Geburts Brieff daß er echt und recht geböhren sey adferre tenetur *Wehn. obs. pract. verb. Zunfften. Besold. tract. coll. c. 2.* statutum item de ducenda intra opificium uxore. *Steph. p. 2. l. 2. c. 7.* probandum dicit, & quod non sit contra libertatem matrimonii, quoniam nemo ad certum individuum adstringitur, dicunt *Gerbard. in l. de matrimonio p. 84. Finckelth. de jure Patr. c. 6. n. 38. & seqq.*

§. 24. In loco monopolia fiunt, cum quis certo furno & molendino uti cogitur, cum ex pacto vel alio modo ad id non sit obstrictus. *Sich. d. l. n. 7.* quod expressè contra libertatem & notissima jura esse dicit. *Steph. ad Inst. Cent. 2. quest. 4. Cinus in l. 1. C. de serv. & aqua. & in l. 2. C. que sit longa consuetudo.* cumq; sint actus meræ facultatis præjudicium nemini facere possunt, qui autem tale quid machinantur, illos monopolii reos dicit *Roland. decis. 24. Köppen. decis. 20. Rauchb. part. 1. quest. 27. Faust. cons. pro arar. class. 5. ord. 495. Socin. lib. 2. consil. 272.* nisi dominus ad aliud molendi-

lendum aut furnum ire volentes prohibuerit, hiq; prohibitioni acquieverint. *Schneidw. ad §. flumina. Inst. de rerum divisione*, aut si vi pactorum tenentur. *Carpzov. lib. 1. Respons. 43. n. 49.* tunc absque monopolii vitio hoc petitur. *Roland. à Valle lib. 2. cons. 22. & l. 3. cons. 80. n. 39. & seqq. Marq. d. l. c. 7. n. 70. de furnis. vid. Cœpoll. tract. de servitut.*

§. 25. Denique Dd. ad monopola referunt, quando Patriciis seu Nobilibus aliis, plebeis item, aliis uti legibus, & ita civitatem quasi in duas partes scindendi potestas permittitur. *Bald. in l. 2. de orig. jur. n. 13. Decian. d. l. n. 32. Speid. n. 15.* unde causa motuum intestinorum, par enim omnium civium & subditorum justitiæ observantia fit, quæ per particularitates & factiones, quas statutum hoc fovet, tollitur, *Decian. d. l. n. 31.* & ut compendio concludam, quoties negotiatio in præjudicium Reipublicæ, quæstum autem privatum vergit, monopolium commissum dici potest. *Speid. d. l. voce Sürkauff. Decian. d. l. n. 11.*

§. 26. Finis monopolii vel est ultimus vel intermedius, ille, ut cum damno Reipublicæ ex illicitis negotiationibus privati lucrum capiant, quod passim in Recessibus Imperii indigitatur; hic verò, quòd possint pro lubitu pretium mercibus statuere. Etenim cum nulli alii sunt, qui ejusmodi merces habent, monopolæ ex voto annonam flagellare possunt, quapropter pecuniâ & opibus in imperio regnare dicuntur. *Capit. Car. V. §. 17. ibi. wie sollen und wollen.*

§. 27. Effectus monopoliorum est, ut ipsi monopolæ soli quasi regnent, se suosq; ditent, annonam vexando, onerando & flagellando Rempublicam vastent, incendiant & excandefaciant, *vid. Fritsch. d. l. c. 9. n. 17.* privatos exsugant, quâ de re multæ seditiones exortæ, ut apud *Tac. lib. 6. ann. c. 13.* & Politici monopola inter morbos

bos

bos reipublicæ perniciosissimos numerant. *Born. lib. 4. part. polit. de republ. curanda.*

§. 28. Hactenus de monopoliorum origine & incremento, cui pauca de eorum decremento & prohibitione addenda. Notum autem est, quod ut omnes ferè contractus, sic & emptio venditio sit juris gentium, ex eoq; nullum ad certum quid emendum vel vendendum adstrictum fuisse, nec prohibitum quenquam majori vel minori pretio aliquid emere vendere, exortis verò postea, querelis de iniquitate contrahentium, data sunt læsis remedia, quibus cognita causa actus vel annullarentur vel rescinderentur. Officio enim Magistratus competit, providere, ne mercatorum contractus fraudulentis aliquid detrimenti publico ferant bono. *l. 1. C. de Episc. audient.* imò sit sollicitus Magistratus, ut annonæ rerumq; ad vitam sustentandam necessariarum copia sit, justumq; pretium. *l. 1. §. 11. de Off. Præf. urb.* sic Theodosius pretium constituit piscium *l. 1. C. Theod. de prec. pisc.* Arcad. & Honorius pretium panis Hostiensis. *l. un. C. de pretio panis Hostiensis.* Cui conveniens est recessus imperii de anno 1530. §. *Wo aber. ibi:* Es soll eine jede Obrigkeit/ etc. ne scilicet cum damno reipublicæ & concivium pauci locupletentur. Notandum hîc est, quod, ut omnes contractus omnesque conventiones contra leges factæ ipso jure nullæ sunt. *l. non dubium. §. verbis: nullum enim pactum. C. de legibus.* sic & monopolia. Sunt enim & hæc contra leges ideoq; injusta & turpia, turpium autem nulla est obligatio. *l. 185. l. 182. ff. de R. I. ibiq; Bronchorst. §. 7. Inst. de mandato.* inter contrahentes puto, optimè verò inter contrahentes & tertium. *Locam. ad d. §. lit. a.* non enim ex delicto, sed propter delictum tenentur. *Arum. exercit. 15. tb. 8.* nec ulla eorum est societas. *l. 57. ff. pro socio.* licet juramentum accesserit.

C

*l. un.*



*l. un. C. h. t. verb. neve quis. & c. Decian. d. l. n. 26.* ubi Bart. à Bofsio falsè allegatum meminit; non enim sit vinculum iniquitatis, sed consistat in veritate, justitia & iudicio. *Mynsing. 5. obs. 59. n. 4.* nec contra bonos mores, ne detur occasio delinquendi. *cap. non est obligatorium. de R. I. in sexto. Panorm. in cap. cum contingat. de jurejur. n. 22. Steph. ad Inst. cent. 3. quæst. 25. lit. b.*

§. 29. Circa processum notandum, quod Sichard. *d. l. n. 13.* dicat, illum à nemine tractarum, & Bartholum, quidem confiteri se ejus practicam vidisse, formam verò non ostendere. Considerandi autem sunt in illo, Judex, actor & reus. Judex est magistratus loci, in quo delictum commissum est, seu qui ibidem exercet imperium. *Constit. polit. de anno 1577. tit. 18. §. Hierauff. ibi: Die Obrigkeit jegliches Ortes. & §. Und wo die durch.* An ergo monopola ad locum, ubi monopola exercuit, remittendus? per prædicta ex *l. 7. ff. de accusationibus. nec non Novell. 134. c. 5.* id affirmandum esset. Verùm postquam distinctæ sunt diversorum Magistratuū jurisdictiones, hoc ipsum necessitatis esse desiit. *Rauchbar part. 1. quæst. 50. n. 25. Modest. Pistor. vol. 1. conf. 291. n. 7.* & mera ex civilitate meroq; vicinitatis jure acceptis precario literis reversalibus de non præjudicando, & in simili casu idem præstando fieri solet. *B. Mey. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 2. artic. 4. n. 34.* videatur *Hahn. ad para. Wesemb. de judic. in fin.* Quid autem hoc casu in Imperio nostro Romano obtineat, habet *Belitz in Processu crim. tab. 1. quæst. fin.* Si magistratus alius alibi delinquentem non vult remittere, ad hunc nihilominus bona monopola spectant. *dicta ord. polit. §. Hierauff. ibi: Dero Haabe und Güter. §. Und wo die. ibi: Derselbe.* & ad illa obtinenda in iudicio camerale contra detrectantem agere potest. *Ordin. Camer. part. 2. cap. 19.*

§. 30.

§. 30. Cum autem iudicium hoc sit populare, non enim in certam personam, sed universam rempublicam, committitur. *Sichard. d. l. n. 14.* ideo cuilibet ex populo competit, quia jus publicum populus tueri debet. *Wesemb. ad l. 1. ff. de popular. act. Goveanus ad l. 1. ff. in fin. de jurisd. modo integræ sit famæ l. 4. de popul. act.* & si plures sint, iudex maximè idoneum eligit *l. 2. d. t.* datur etiam mulieri & pupillo *l. un. C. b. t. in verb: data licentia unicuique.* modò eorum interfit *l. 6. ff. de popul. act.* cumq; hoc delictum maximè damnosum sit reipublicæ, ideoq; manifestari expediat, Magistratum tamen utut vigilantissimum Argum latere possit, hinc præmiis olim alliciebantur, cum quarta pars delatorum esset. *l. 13. de jure fisci. tot. tit. C. de delatoribus. ibiq; Peretz.* quæ vulgare præmium delatorum dicitur *Tacit. 4. annal.* hincq; quadruplatores dictos illos esse testatur *Asconius in Verrem. vid. Gothofr. ad l. 13. §. 5. de jure fisci lit. f.* quod etiam novissimis constitutionibus convenit. *Polit. ord. de anno 1577. tit. 18. §. Und nachdem. & §. Und ob ein solcher re.* Ubi additur, si delator simul conscius fuerit criminis, præmiis quidem privari, poenâ tamen non affici, & hæc ex causa publicam utilitatem concernente à Principe remitti potest. *Althus. tract. de poen. c. 3. n. 12. seqq. Besoldus thes. pract. in verbo Ruge negantes Dd. adfert. Gothofr. vero in l. 13. de custodia & exhib. reorum lit. u. distingvit, utrum delator sit sceleris conscius & nō punitur etiam si sit reus criminis læsæ Maj. si delictum revel et l. quisquis. §. fin. C. ad l. Jul. Maj. aut nullos in delicto habet comites sed poenitet, & huic non ignosci. l. fin. de vi bon. rap. nisi in casibus legibus exceptis.*

§. 31. Quinam sint rei, ex supradictis satis constat & quidem contra ipsos monopolas agi posse nulli dubitamus. An etiam contra hæredes? sed cum actio hæc

fit pœnalis & infamet, ut infra dicemus, ideo in illos non dari expeditissimi juris est. *l. 111. §. in hæredes. de R. I.* nisi lis cum defuncto sit contestata. *l. 164. l. 139. eod. §. 1. Inst. de perpetuis & temp. act.* quia per litis contestationem in iudicio quasi contrahitur. *l. 3. §. idem scribit. ff. de pecul.* tacitè enim uterque se obligat ad id, quod iudex dixerit, hinc post litis contestationem in hæredem ut omnes actiones ex contractu datur. *Bronch. ad l. 38. de R. I.* ubi tamen hoc verum dicit, quando civiliter agitur, si enim actio est criminalis, & reus delicti ante sententiam moritur, hæredè non teneri, statuit excepto crim. læsæ Maj. & repetundarum. *l. ex iudiciorum. 20. de accusationib.* Aut si aliquid ex delicto defuncti ad hæredes pervenit *l. 38. de R. I.* turpia enim lucra hæredibus extorquenda, ne alieno scelere detescant. *l. in hæredem de calumniatoribus. Locam. ad §. 1. Inst. de perpet. & tempor. act. l. n.* Ex juris Canonici æquitate etiam hæres, licet nihil ad eum pervenerit ex defuncti maleficio tenetur in solidum, quatenus scilicet facultates matrimonii ejus patiuntur. *c. fin. de sepulturis. c. in literis extr. de raptor.* quæ opinio communis est, teste *Franco ad l. 38. de R. I. n. 13.* hocq; ideo quo exoneretur defuncti conscientia.

§. 32. Modum deferendi hoc crimen triplicem facit *Sichard. cum Barbosa ad l. un. C. b. t. n. 14. Steph. vol. 1. p. 4. disp. 6. concl. 1.* vel per accusationem, vel inquisitionem, vel per denunciationem. Ast rectius alii duplicem saltem constituentes modum, accusatorium scilicet & inquisitorium, tertium non agnoscunt. *Carpz. part. 3. praxi crim. quæst. 108. n. 54. Belitz Process. crim. tab. gen. Brunman. de processu inquisitorio. c. 1.* quæ denunciatio non facit singularem processum, sed saltem ut iudex inquirere possit, de qua ejusq; speciebus eleganter scripsit *Gotbofr. de Jena in tract.*



*tract. de SC. Macedon. sect. 4. aphor. 3.* Est autem processus inquisitorius cum magistratus ex officio delictum inquirat, de quo *Brunn. d. l.* Accusatorius autem, quando quis aliquem coram competente iudice alicujus criminis reum facit, qui tamen rarior est illo. Notandum autem, hic, quod olim accusator se ad poenam talionis inscribere debebat. *l. fin. C. de accusat.* hodie verò sufficiat cautionem de injuria resarcienda & lite prosequenda præstari, ubi autem idoneè caveri nequit, carceri mancipatur. *art. 12. const. Carol. ibiq. Matth. Steph. Wesemb. in paratit. de accusat. n. 12. in medio.* Ratione formæ processus est vel ordinarius vel extraordinarius. Ille solenniter, hic minus solenniter absque strepitu iudicii peragitur. nec in eo omnia, quæ in illo observantur, licet etiam substantialia, ut sunt citatio personarum, legitimatio &c. omitti non possint. *Hillig. in Donel. l. 24. c. 5. lit. b. c. Dd. remissivè. Fritsch. d. l. c. 17. n. 11. Besold. thes. pract. vers. summarischen Proceß.* qui etiam hic locum habet, ratio est publica utilitas, quæ non patitur causam in longum differri. *reformatio polit. de anno 1548. tit. von Monopoliën. §. Es soll auch in diesen wie auch andern gefreyten Fällen de plano &c. quæ verba in polit. reform. ab anno 1577. tit. 18. repetuntur, quibus addi potest artic. 77. Const. Carol.* Magistratus si inquit necesse habet primum inquirere in corpus delicti, monopolium scilicet ipsum. (2) in personam delinquentem sive monopolium exercentem, quod etiam accusator, si aliquem criminis incusare vult, observare, & per testes aut instrumenta exactè probare debet, delictoq; probato iudicis partes nullæ aliæ sunt quàm condemnare.

§. 33. Cum lex sine executione sit quasi campana sine pistillo, ideò ex utilitate reipublicæ est, ut Magistratus non solùm monopolia prohibeat, sed etiam ut contra

prohibitionem suam facientes debitis poenis afficiat. Est autem à sacratissimo nostro Imperatore in *l. nostra un.* diversa poena statuta, propriè enim monopolæ omnibus bonis exuti in exilio perpetuo vivere debent, quo non indigitur bannum, licet contrarium teneat *Sichard. ad l. num. 12.* ut populo Romano incognitum, nec poena capitalis secundum *Gothofr. ad h. l.* sed relegatio perpetua. *Fritsch. d. l. c. 15. n. 11.* Juri communi conveniunt *Recessus Imper. de anno 1512. §.* Und nachdem etwa. *ibi: Welche aber hies wieder/te. de anno 1577. tit. die Monopolia. §.* Und wo die durch &c. & anno 1577. *tit. 18. §.* Und wo die/te. Quid Lubecæ obtineat, vide apud *Marq. de jur. merc. l. 4. c. 6. n. 14.* An publicatio bonorum adhuc sit in usu variè disputatur? Negat id *Habn. ad parat. de requirendis absent.* nisi in crimine læsæ Maj. & hæreseos. Verùm cum & hic casus non sit specialiter abrogatus, sed potius in *Novell. Imp. const. approbatus & repetitus,* idè cum *Sixtin. de regal. l. 2. c. 12. n. 95.* in hoc & in aliis locum habere putamus. videatur *Gudelinus de jure novissimo l. 5. c. 15.* sed quid si bona propter delictum publicentur, num ipso jure cedant, an verò sententiâ adhuc opus declaratoriâ? Et licet ipso jure quidem cedant, sententia tamen est necessaria. *Pereg. de jur. Fisci. l. 4. tit. 5. n. 8.* & hoc in praxi observari testatur *Mev. ad Jus Lub. lib. 1. t. 2. art. 3. n. 42.* poenam autem prædictam accipit Magistratus loci, in quo commissum. *R. A. 1548. tit. die Monopolia. §.* Hierauff haben wir/te. de quo supra dictum.

§. 34. Impropriè monopolæ secundum *d. l. un.* quadraginta libris auri, *ex ordinat. polit. verò 1577. tit. 37.* von den Handwerckern ins gemein arbitrariè puniuntur. Quæ poena notarii, qui monopolicas pactiones scripserunt, puniuntur, discors est *Dd. opinio. Decian. d. l. n. fin.* dicit  
poena

publicationis bonorum afficiendos. argumento *l. 1. C. ut nemo ad suum patroc. ibiq; glossa in verb. nisi fuerunt.* Verum ex recessib. Imperii anno 1512. §. Demselben nach. poena illorum etiam est arbitraria. *Fritsch. d. l. c. 15. n. 31.* An iudex pro circumstantiarum varietate poenam augere vel mitigare possit? affirmat *Fritsch. d. l. n. 18.* quod limitandum, nisi lex certum quid definiverit, ubi enim leges certam poenam constituunt, iudex eam exasperare aut mitigare nequit. *Matth. Steph. vol. 1. part. 4. disp. 6. concl. 17. Carpzov. praxi crim. part. 3. quæst. 142. seqq.* nec iudex lege clementior esse potest. *id. d. l.*

§. 35. Excipiuntur à crimine & poena monopolii, qui licita exercent monopolia, quæ vel ex æquitate, vel ex utilitate, vel ex necessitate conceduntur. Sic æquum est illos à monopolii crimine absolvi, qui fructus sui fundi sibi suisq; ad usus necessarios servant. Absolvendus & Princeps, si ad avertendam annonæ caritatem & ad præcavendam subditorum indigentiam publicâ sanctione vel ad tempus vel in totum aliquando prohibeat frumenti quicquam in territorio nati inde exportare. *Riminald. jun. cons. 8. n. 18. Bursat. cons. 138. n. 9. Alciat. cons. 14. per tot. vol. 4. Bertazol. cons. crim. 87. n. 14. Loffred. cons. 24. n. 10. Cravett. cons. 9. 73. n. 45. Menoch. cons. 1061. n. 20. Surdus cons. 210. Matth. Steph. de Jurisd. c. 33. n. 73. & seqq. Coler. de aliment. lib. 1. cap. 17. n. 7.* Imò Locrensiū aliorumq; statuta quibus prohibebatur annonam nisi ea abundarent exportare, laudantur ab *Arist. lib. 1. Polit.* Sic & Theodoricus Gothorum Rex Fausto scripsit, ne provinciam peregrinis commerciis exponeret, antequam incolis frumentorum ubertate satis provisum esset, neve exterorum naves, nisi pensitato regionis proventu, ex abundantia ejus onustas remitteret. *Cassiodor. lib. 4. var. epist. 34. vid. Marq. d. l. lib. 4.*



lib. 4. c. 7. n. 40. Ipsius enim naturæ, imò commune gentium votum est, sibi suisq; prius prospicere, antequam aliis opitulemur, ordinata namque charitas à se ipsa incipit, etiamsi alterius lucro exinde quicquam decedat, damnum enim non facit, qui alteri lucrum, quo suo beneficio aliquantisper usus est, præripit. *argumento. l. fluminum 24. §. 12. ff. de damno infecto.* Nec monopolii Magistratus argui potest, qui civium & subditorum suorum potiore rationem quàm aliorum, dum ad utilitatem publicam in territorio suo commercia aliquo modo restringit, exportationi mercium legem dans, vel nocivum quodvis in portu, flumine vel urbe prohibens. *Marquard. de jur. mercat. lib. 1. cap. 17. n. 50.* Inventoribus novi operis, rerum ab ipsis inventarum commercium præmii loco vel ad tempus vel ad vitam concedi nonnunquam solet, sicut ex *Donato in Sveton. in vita Tiberii notavit Fritsch. d. l. c. 10. n. 85.* Cui non absimile est, quando bibliopolis indulgetur, ut intra certum tempus soli quos typis excuderunt libros vendant. *Mev. part. 3. dec. 70.* modo hoc privilegio ut natura omnes ad malum proni non abutantur, quibus tamen Magistratus obviare, statutoq; pretio avaritiæ hominum terminum ponere solet. *Fritsch. d. l. n. 90.* nonnunquam propter malitiam & avaritiam privilegiatorum istiusmodi privilegia revocantur, ut factum à Parlamento Lutetiano meminit *Limn. ad capit. Car. V. artic. 17. verb: mit Theurung.*

§. 36. Publica etiam utilitas nonnunquam exigit, ut monopolia vel exercentur, vel exerceri permittantur *Marq. d. l. n. 2.* Publica enim salus secundum *Cicer. suprema lex esto,* & quicquid communiter omnibus prodest, privatorum commodo anteponendum. *Novell. 7. c. 9. §. 1.* Omnia cedant & posthabeantur patriæ commodis,

dis, nihilq; non potius admitti, quàm illa detrimentum  
 pati debet, ut eleganter æquè ac graviter differit *B. Mey.*  
*discuss. levam. inop. debit. cap. 2. n. 26. & seqq. conf. Grot. de Jure*  
*B. & P. l. 2. c. 25. n. 3. ibiq; Felden.* Hinc justè Princeps rerum  
 exoticarum, ut sunt serici, gemmarum, cupediarum, her-  
 bæ Nicotianæ (ut in Suecia fit) aliarumq; rerum, quibus  
 civium mores corrumpuntur, dum luxui magis quàm  
 necessario usui inserviunt, monopolium exercet aut aliis  
 permittit. *Besold. Synops. Pol. part. 1. n. 6. Bornic. de arar. lib. 2. c. 1.*  
 Rectè item magnis vectigalibus res eas onerat, ut quæ  
 aliàs uno, nunc quatuor vendatur florenis, ne vulgus e-  
 am sibi comparare possit, sed primatibus relinquere co-  
 gatur. *Boter. de stat. illustr. lib. 2. c. 15. Later. de cens. l. 1. c. 9. l. 2.*  
*c. 2.* Nec vectigal DEO immortalis gratius, civitatibus  
 pulchrius, Principibus honestius, plebi utilius est illo,  
 quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium  
 mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem  
 spectant. *Bodin. lib. 6. de republ. c. 2.* Ne scilicet auro & ar-  
 gento Respublica exuatur, cujus exportatio constitu-  
 tionibus Sueticis, itemq; recessibus Imperii multoties  
 prohibita est, ut *de annis 1521 J. Nachdem auch etliche. 1571. J.*  
*Aber damit. 1594. J. Diweil auch durch die Aufsführer.* Si item  
 Respublica indiget, nec est, qui ingentem laborem per-  
 ferre, aut tantos sumptus suppetere possit, ob utilitatem  
 publicam jure optimo uni vel paucis publica autoritate,  
 illarum commercium conceditur. *Azor. lib. 3. Inst. moral. t. 8.*  
*c. 28. Brunman. ad d. l. un. C. h. t. Speid. in specul. obs. voce Jür-*  
*fauff. Molina tr. 22. disp. 345. n. 3.* Hinc etiam in multis Ger-  
 manicæ civitatibus vel ex privilegio vel ex consuetudi-  
 ne obtinet, ne ad mille passus, vel aliud certum spacium  
 in pagis cerevisiam vel coquere vel vendere liceat, ne  
 civitates communicato cum ruricolis commercio dis-

D solvan-

solvantur, vel aliud quodpiam cerevisiæ impositum onus decrementum & civitas damnum sentiat. *Marq. d. l. l. 4. c. 6. n. 48. Fritsch. d. l. c. 10. n. 70.* Aliæ civitates alio monopolii genere utuntur, sic lupuli commercium Hopffen Rauff und Verfauff Senatus Vratislaviæ in Silesia: Norinberga calcis coquendæ & vendendæ sibi vendicant, sic in civitate Lubecensi certis personis jus coquendi sacchari & salis ad certum tempus concessum fuisse meminit *Marq. d. l. n. 28.* & ejusmodi privilegia & monopolia jure licito concedi & usurpari posse constat *ex responso Lipsiensi ab anno 1643. in verbis: Das nach gemeinen Wahn der Rechtsgelahrten und Politicorum die Obrigkeit auß gewissen Ursachen und Landes Nutzen eine oder die andere Handlung gewissen Personen auff gewisse Zeit zulassen / den andern aber verbieten kan / daß also solches verwilligtes nicht in Zweifel noch Disputat zu ziehen / re. referente illud Carpz. decis. 4 n. 12.*

§. 37. Necessitas quoque facit, ut prædicta negotiatio injusta aliàs & illegitima justa fiat, hæc enim facit, ex illicito licitum, ex improbabili probabile. *l. qui potuerunt. ff. de manum. vind. Sebastianus Med. de casibus fortuitis. part. 1. quæst. 6. n. 47.* Est enim secundum *Senecam l. 4. contr. 27.* magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, quæ omnem legem frangit, quicquid coegit defendit, unde necessitatem non habere legem, nec legi, sed legem ipsi subesse dicitur. *Fritsch. d. l. n. 21.* item necessitati parendum est, quæ ab omni dispositione est exempta. *l. 13. fam. hercisc. Mastert. decis. 286. n. 16.* propterea Politici non minus, inter quos primas ducit *Aristot. l. 1. polit. 7.* quam Jurisconsulti, *Christinaus ad leg. Mechl. artic. 27. Sigism. Schacc. de commerc. & camb. §. 1. quæst. 7. p. 3. lin. 10. n. 18.* cum multis aliis Principē monopolia exercere posse, imò interdum debere dicunt. *Fritsch. d. l. n. 13.* Quod tamen procedit, si  
(1.) ne-

(1.) necessitas illa sit vera, extra hanc enim Princeps hoc remedio non utatur. *Later. de cens. lib. 3. c. 14. n. 33.* (2) Non aliud utilius, subditis minus onerosum, & ærarii locupletandi commodius suppetat remedium. *Bornic. de arar. lib. 2. c. 1.* (3.) ita exercenda aut permittenda monopolia, ut parum vel nihil præjudicetur subditis. *Senatus Pedemontan. decis. 17. n. 15.* Nam quamvis ob commodum publicum, utq; locupletetur ærarium monopolia institui possint. *Brunn. d. l. Surdus. concl. 3. c. 1. n. 21.* ita tamen publicum commodum attendendum, ne nimis graventur subditi, quod ut iniquum ita nec ferendum. *Besold. disp. polit. class. 2. disp. 4. n. 12.* nam daretur occasio tumultuandi, ad quid teste historiã vulgi natura facilè inclinatur. *Fritsch. d. l. n. 43.* ubi ex *Klock. de arar. lib. 2. c. 26. n. 10.* maximã hinc opus esse cautione dicit. (4) Nec illud remedium sit ordinarium, sed extraordinarium tempore necessitatis usurpandum. Et hanc quadruplicẽ cautionem in cõcedendis monopoliis adhibendã esse statuit *Fritsch. d. l. n. 44.* vide etiam apud *Marq. d. l. n. 77. & seqq.* An propriã autoritate quisquam monopolia exercere possit, quæritur? Et existimat hoc ipsum *Grot. de Jure B. & P. l. 2. c. 16. ibi: potest & à privatis.* contrarium verò ut communius ita & verius amplectitur *Fritsch. n. 95. ubi Dd. remisivè. Brunn. d. l. Molin. d. l. n. 8. Tholoz. lib. 30. Synt. Jur. civ. cap. 30.* nisi sint, qui superiorem non recognoscunt. *Hahn. ad parat. Wesembec. de servis export. ibi: si permittatur à summa potestate. Roland à Valle Vol. 2. c. 22. n. 9. Fritsch. d. l. n. 96.* Si enim superiorem recognoscit, licet sit Princeps, non potest. *Sichard. d. l. n. 6.* Nec ullus Imperii Status, quoniam publicam Imperii utilitatem tangunt. *Fr. c. 8. num. 9.* Nec minus apprimè hinc disquiritur, utrum societas Hanseatica sit licita & in Imperio probanda? Antequam ad hanc quæstionem re-

spondemus, præmittenda nonnulla essent de origine & denominatione hujus societatis, verum cum ob temporis angustiam historiæ seriem concinnare nequeam, breviter ex *Tbuan. l. 51. hist.* dico: Cum circa annum CHRISTI 1200 littus Balticum piratica maximè infestaretur, civitates illius littoris, cum inferioris Saxoniae civitatibus foedere inito ad tuendam libertatem coivisse, foedusq; hoc constituisse. vid. *Mev. b. m. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 2. n. 6. Fritsch. d. l. c. 14. n. 8.* de illius progressu vid. *Klock. de contrib. cap. 14. sect. 2. n. 1.* de interitu experientia testatur. Unde dicta sit societas Hanseatica videri potest apud *Mev. d. l. n. 7. Fritsch. d. l. n. 5. & seqq.* Quaestionem cardinalem quod attinet, cum prædictis *Mev. & Fritsch. nec non Marq.* affirmativam defendemus.

§. 38. Præscriptione quoque acquiri monopolia, nulli dubitamus, cum juxta commune Dd. axioma. Præscriptione fit quæsitibile, quicquid privilegio quæsitibile est. *Mod. Pist. Vol. 1. cons. 4. n. 30.* sic in multis locis usu obtinuisse videmus, ut sint publica ædificia cerevisiæ coqvendæ, molendina publica, jus cerevisiæ exoticæ vendendæ. Cum verò hæc omnia in mera facultate consistant, non possunt simpliciter præscribi. *Wesembec. in parat. de rescind. vend. n. fin. Schurf. cent. 1. cons. 69. & cent. 3. cons. 77.* ex facto tamen superveniente jus induci potest, ut per prohibitionem. *Carpzov. part. 2. constit. 4. def. 15. Mev. part. 5. decis. 252. n. 4.* per prohibitionem enim & patientiam inducitur quasi possessio, quæ si per longissimum tempus durat, jus prohibendi acquiritur. *Cöpp. decis. 19. n. 16. Mev. part. 1. decis. 60. n. 8.* De eo dubitatur, an statuto disponere licitum, ut cives in certis ædibus hordeum torreant, cerevisiam coqvant, &c. nec aliis nisi inhabitatoribus idem permittatur? Quamvis juri gentium & liber-



libertati commerciorum contrariari, ideoq; non simpliciter admittendum videatur. *Rosenth. de feud. cap. 5. concl. 26. princ. Decian. d. l. n. 21.* Praxis tamen contrarium observat, nec est improbandum illud statutum, modò rationalem habeat causam. *Fritsch. d. l. c. 8. n. 18. Mev. ad J. Lub. l. 3. tit. 12. art. 12. n. 13.* Huic subjungimus quæstionem, an hoc jus cerevisiam in certis ædibus coqvendi, hordeum torrendi, ad molendinum ire cogendi, possit ab in habitatore ædium aut molendini alteri cedi, & negativa placet *Carpz. part. 2. const. 41. defin. 15.* non enim privilegium hoc personale, sed reale est, nec à re separari potest. *Mev. d. l. n. 9. Faber in C. lib. 3. tit. 24. defin. 2.*

§. 39. Consuetudine item monopolia introducuntur, consuetudini enim magis quàm juri scripto inhærendum. *Richter. part. 1. decis. 18. n. 15.* & ei ut matri habenda reverentia. *ib. n. 32.* ut Regina observanda. *Id. part. 2. decis. 40. n. 43.* introducitur autem, quando unus solus scientibus nec contradicentibus concivibus certas negotiationes per tempus judicis arbitrio (regulato) definiendum exercet. Nec minus pacto & conventionem licita fiunt, quilibet enim juri pro se introducto renunciare potest. *l. 29. C. de pactis.* Et si taciturnitate aut patientiâ jus suum quis amittere potest, ut paulò ante dictum, quidni etiam expresso consensu, cum plus noceant expressa quàm non expressa. *l. 195. ff. de R. I.*

§. 40. Coronidis loco dicemus de poena judicis immediati, qui vel prece vel pretio seductus DEO & legibus puras custodire manus neglexerit, juxta *Novell. 82. c. 9.* verba legis ita se habent: *Officio tuæ sedis quinquaginta librarum auri condemnatione multando si in prohibitis monopolis & interdictis corporum actionibus commissas forte (si hoc evenit) saluberrimæ nostræ dispositionis condemnationes, venalitate*  
inter-

interdum aut dissimulatione vel quolibet vitio minus fuerit execu-  
tum. Ubi venalitatem Imperator præmittit, satis gna-  
rus auro omnia venire, juxta illud: Denn Geld / Gewalt/  
und Herren Gunst / zubricht Ehr / Recht und alle Kunst. Frosch-  
mäußler lib. 3. cap. 12. Item illud Virgilio: Auri sacra fa-  
mes quo non mortalia cogis pectora. Cui addit dissi-  
mulationem, non enim connivendo delicta relinquere  
impunita integri judicis est, cujus requisita optimè de-  
scribuntur in l. 13. & 19. ff. de offic. Præs. secundum Reces-  
sus Imperii centum marcis auri puri conniventia vel ne-  
gligentia judicis punitur. Vide Reformat. polit. de anno 1548.  
tit. die Monopolia betreffend. §. Zu dem soll auch. & anno 1577.  
tit. & §. eodem nec non iisdem verbis, videatur item b. Marquard.  
d. l. n. 33. & Fritsch. d. l. cap. 16. Et hæc pro temporis  
angustia de hac materia congestisse sufficiat,  
quibus concludo defe-

rens

SOLI DEO GLORIAM.



ULB Halle 3  
003 017 125




86

VD77





erell  
Est  
, An  
priva  
ndur  
b. de  
rater  
itur  
s cad  
n sol  
nc fi  
vatio  
erede  
decla  
milit  
verfu  
lib. 3.  
9.  
flet, u  
out 8  
e. d. o  
usqu  
una ha  
haud p  
opriã a  
e caufi  
ælerin  
gò colo  
mpeten  
rc. 11. t  
n amitt  
m anif  
repete  
necessar  
it. loca  
mporis  
hic  
LI D



DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
**MONOPOLIIS**

42.  
825.  
1671  
14

QUAM  
Divinã favente gratiã  
Decreto & autoritate Magnifici Jëtorum Ordinis  
In Regia Academia Gryphica  
PRESIDE  
*Viro Nobilissimo, Excellentiss. & Consultiss.*  
**DN. FRIDERICO GERDESIO,**  
J. U. D. Pandectarum & Codicis Professore Ord.  
Facultatis Juridicæ p. t. Decano spectabili, Consistorii  
Regii in Pomerania Assessore gravissimo  
Fautore, Amico & Affine suo hono-  
tissimo,

Pro summis in Utroq, Jure Honoribus  
& privilegiis Doctoralibus ritè & solenniter  
consequendis  
Publico Eruditorum examini submitte

**PETRUS CORSUANT,**  
GRYPHISW. POMER.

Ad diem 18. Julii PATRI natalem in Auditorio majori  
à horã 7. matutinã.

GRYPHISWALDIÆ  
Typis Matthæi Doischeri Acad. Typographi 1671.

46.

